

litteras plenissima causantibus dictis tribulacionibus et prioratus destructionibus super mortuariis et vacantibus pretextu huiusmodi concessionis et commendacionis dilecto fratre Wenceslao communi dicti ordinis thesauro debetis pro nunc supersedere, remanendo tamen obligatus, quod, si quid imposterum ab aliquo ad id constituto de predictis mortuariis et vacantibus eum recepisse reperiatur, illud integraliter solvat, consignet et integraliter et cum effectu eidem, quem reverendissimus dominus magister et conventus aut alter ipsorum ordinaverit, totum restituat. Preterea quod, ut premittitur, comperimus, quod propter temporum corruptiones, guerras et discrimina in partibus dicti prioratus incessanter vigentia, quod preteriti dicti priores parum aut nichil de dicto prioratu accepisse [!], prout etiam testatur venerabilis religiosus dominus frater Robertus de Diana, tunc per illas partes visitator et nunc prior Urbis dicti ordinis, in quodam suo instrumento manu publica notarii superinde confecto, per nos viso et lecto de verbo ad verbum. Qui dominus frater Robertus tamquam compatiens venerabili fratri et magnifico religioso domino Roberto domino in Slesia, tunc dicti prioratus priori, ultra dictum prioratum nonnullas preceptorias ad habendum et possidendum indulsit, prout latius in dicto instrumento continetur. Nos vero exinde in dictis discriminibus dictum prioratum adhuc perseverare – proh dolor! – animadvertentes et visa dicta concessione predicto olim priori facta, ne idem frater Wenceslaus detrimentum paciatur, sed potius de bonis dicti ordinis decentius sustentetur, sperantes indubie, quod per eius administracionem dictus ordo reportabit incrementum, idcirco auctoritate nobis a supradictis etiam super huiusmodi attributa premissorum eius virtutum consideracione et generis nobilitate intuitis inducti eidem fratri Wenceslao, ut valeat, possit et debeat unam, duas, tres et quatuor preceptorias, baiullias sive camereas dicti ordinis in partibus Austrie, Stirie et Karinthie vacantes vel vacaturas simul vel successive per decessum vel privacionem cum omnibus suis membris, iuribus et obventionibus quibuscumque recipere, habere, tenere, possidere, regere et gubernare ad usus suos et dicti ordinis earundem fructus, redditus et proventus attribuire et convertere et cum omnibus iuribus, honoribus et oneribus et sub annuis responsionibus secundum taxam communem aliis oneribus impositis et imponendis secundum communem cursum ipsarum preceptoriarum dicti prioratus communi Rhodi thesauro debitis et debendis, quousque Deus tempora huiusmodi in dicto Bohemie prioratu commutaverit in melius et commodius de suo prioratu poterit sustentari et cameras suas solitas priorales rehabere et recuperare dante Domino poterit. Et si quas pre-